



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

9. Eubata quomodo Laide[m] luserit?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

tur: Quare, in eodem thalamo summum fidei & perfidie, castitatis & impuritatis extitit exemplum; ad erudiendos illos, qui existimant, coniuges suos lege talionis puniendos, & sibi id licere, quod alterum deprehenderunt peccauisse; quasi adulterium adulterio sit plectendum; & vnius scelus alterius crimine excusetur. Vel ex poëta discite, ô miser, fidem tenere, peccet licet vxor tua; tu tamen serua, quod promissisti; sit illa contumax, & neget obedire; tu tamen esto fidelis. Denique, tametsi illa sit Helena, tu tamen potes esse Menelaus. Duo, hi coniuges, exempla tibi reliquerunt; facilè vides, honestum turpi esse præferendum. Sicut neque etiam difficile est statuere, Iobi, an Davidis oculos debeas imitari. Vel si Iob tibi nimis sanctus fuit, Eubatam accipe in præceptorem, cui cum aliis oculi insidiarentur, ab ingenio auxilium fuit.

IX.
Aelian. lib. 10
Variar. c. 2.

Lais, cum Eubatam Cyrenensem aspexisset, ardentissimo in eam amore cepit flagrare, & de contrahendis, inter se mutuo, nuptijs sermonem ei detulit. At ille metuens eius insidias, recepit sese id facturum. Non tamen rem cum illa Eubatas habuit, sed casto & temperanter vitam peregit. Sponsio verò his conditionibus facta est, ut, post ludos certamenq;, rata deberet esse. Cum igitur victor abierat certamine, ne conuentis non stetisse videretur erga feminam, piliam Laidis imaginem deportauit secum Cyrenam, inquiens, se Laidem dare, & pacta non fregisse. Quam ob causam mulier, qua ipsi nupserrat, maximam ei statuam Cyrena ponendam curauit: sic remunerari volens eius temperantiam. Apparet hic rursus fidem Eubate non minus insignem fuisse, quam Laidis leuitatem: & per hanc illi statuam fuisse erectam. Frequenter enim vnius crimine virtus alterius clarescit.

X.
Cant. 8. 6.

Verè Salomon, Fortis est, vt mors dilectio. Quidam enim, ne dilectionem fidemque coniungi promissam læderent, mori, quam fedari, maluerunt. In horum censu refert Zonaras, Isaacium Comnenum Imperatorem extitisse. Is peregrè profectus in morbum incidit. Consultatum est de remedio; & à medicis, qui corporis magis, quam animæ curam habere consueuerunt, consultum, vt consuetudine mulieris morbum leuaret. At is fidei à se datæ memor, valetudine, & adeò etiam morte insuper habita,